

DE ALCMAEONIS CROTONIATAE APUD PLATONEM VESTIGIO

Plato in dialogo qui Sophista inscribitur p. CCXLII hospitem Eleaticum inducit narrantem quid veteres de rerum principiis censuerint: *μῦθόν τινα ἕκαστος φαίνεται μοι διηγεῖσθαι παισὶν ὡς οὕτω ἡμῖν, ὁ μὲν ὡς τρία τὰ ὄντα, πολεμεῖ δὲ ἀλλήλους ἐνίοτε αὐτῶν ἅττα πη, τοτὲ δὲ καὶ φίλα γιγνόμενα γάμους τε καὶ τόκους καὶ τροφὰς τῶν ἐκγόνων παρέχεται· δύο δὲ ἕτερος εἰπών, ὑγρὸν καὶ ξηρὸν ἢ θερμὸν καὶ ψυχρὸν, συνοικίζει τε αὐτὰ καὶ ἐκδίδωσι· τὸ δὲ παρ' ἡμῖν Ἑλεατικὸν ἔθνος, ἀπὸ Ξενοφάνους καὶ ἐτι πρόσθεν ἀρξάμενον, ὡς ἐνὸς ὄντος τῶν πάντων καλουμένων οὕτω διεξέρχεται τοῖς μύθοις. Ἰάδες δὲ καὶ Σικελικαὶ τινας ὑστερον Μοῦσαι συνενόησαν ὅτι συμπλέκειν ἀσφαλέστατον ἀμφότερα καὶ λέγειν ὡς τὸ ὄν πολλά τε καὶ ἓν ἔστω, ἔχθρα δὲ καὶ φιλία συνέχεται κτλ.* Platonem hoc loco certos quosdam viros eorumque libros vel doctrinas ante oculos habuisse ex eo colligi potest, quod Eleatici philosophi nominatim appellantur quodque sub Ionicarum Siciliensiumque Musarum nominibus Heraclitus Ephesius et Empedocles Acragantinus apertissime, ut ita dicam, latent. Restat ut eorum qui tria eorumque qui duo principia esse contenderunt nomina vel doctrinas investigemus. Potest autem utraque quaestio haud facile persolvi. Nam illi, quorum principia bella gerere, nuptias facere, liberos procreare eosque educare dicuntur, certe non sunt philosophi, sed poetae vel mythographi, qui eius modi fabulas libenter proferunt. Sed Plato utrum hoc loco Hesiodum respexerit an Pherecydem an Acusilaum, a quibus aut *Χάος* ἢ *Ἔρως* aut *Ζῆς* *Χρόνος* *Χθονίη* aut *Χάος* *Ἐρεβος* *Νύξ* tamquam genitores genetricesque omnium rerum excogitati sunt, vix diiudicari potest, praesertim cum Pherecydis et Acusilai opera paene tota perierint. Sed ut ad rem propositam veniam, nunc quaerendum est, quis sit, qui duo principia esse confirmaverit, humidum dico et aridum vel calidum et frigidum. Omnes, quantum video, Platonis commentatores omnesque philosophicae historiae scriptores consentiunt Platonem hoc loco Archelaum Atheniensem ante oculos habuisse. Vix recte. Obstat enim et aetas et doctrina Archelai. Neque enim Plato, cum Heraclitum et Empedoclem posterius quam ceteros quos dicit philosophos fuisse confirmaverit, hoc priore loco Archelaum attingere potuit Socratis fere aequalem illisque viris multo natu minorem. Et quamquam constat ab Archelao calidum et frigidum tamquam elementa naturae constituta esse, tamen humidi et aridi principia, quae Plato prius nominat quam illa, inter Archelai fragmenta vel testimonia nusquam reperies. Quod mirum non est, quoniam ex illis quattuor omnia nata esse nemo umquam philosophus docuit. Affert igitur Plato exempla tantum doctrinae cuiusdam philosophi, qui duo omnino principia esse existimavit, quorum alterum alteri oppositum esset. Quae cum ita sint, dubium esse non potest, quin alium atque Archelaum hoc loco respexerit Plato philosophum, qui ante Heraclitum Empedoclemque et ante Eleaticos floruit

quique duo principia esse contendit opposita inter sese et diversa. Philosophis illorum temporum percensis et de Pythagoreis et de Alcmaeone Crotoniata cogitandum est. Sed Pythagorei veteres decem constituerunt genera oppositorum, inter quae illa duo quae dicit Plato omnino desunt. Restat solus Alcmaeo, de quo Aristoteles Pythagoreis pertractatis in *Metaphysicis* p. CMLXXXV dicit haec: *φησι γὰρ εἶναι δύο τὰ πολλὰ τῶν ἀνθρωπίνων, λέγων τὰς ἐναντιότητας οὐχ ὥσπερ οὔτοι διωρισμένας ἀλλὰ τὰς τυχούσας, οἶον λευκὸν μέλαν, γλυκὴν πικρὸν, ἀγαθὸν κακόν, μέγα μικρόν*. Vides, quantopere quae narrat Aristoteles illis respondeat quae sunt dicta a Platone! Uterque confirmat ab Alcmaeone duo esse principia constituta contraria inter se et diversa; uterque ex innumerabili illorum numero exempla tantum exhibet, quod alter particula ἢ significat, alter adverbio οἶον declarat. Quam ob rem mirum non est, quin alia genera oppositorum ex Alcmaeone elegerit Plato, alia Aristoteles. Aetius quidem Placitorum libro quinto capite tricesimo testatur ab ipso Alcmaeone in sanitatis definitione cum ex illis quae apud Aristotelem sunt unum, tum eadem quae dicit Plato duo eodem insuper ordine adhibita esse: Ἄλκμαίων πῆς μὲν ὑγείας συνεκτικὴν τὴν ἰσονομίαν τῶν δυναμένων, ὑγροῦ ξηροῦ, ψυχροῦ θερμοῦ, πικροῦ γλυκέος καὶ τῶν λοιπῶν. Quibus rebus demonstratis dubium esse non potest, quin Plato hoc loco Alcmaeonis Crotoniatae doctrinam descriperit; praeterea, nisi fallor, *συνουκίσει* et *ἐκδιδόναι* vocabula, quibus declarantur opposita inter se quasi nuptiis et matrimonio coniungi, Plato ad verbum ex Alcmaeonis libro deprompsit. Totus igitur hic locus testimoniis Alcmaeonis inserendus est. Quae si percenseris, alterum iam locum Platonicum invenies, qui est in *Phaedone* p. XCVI, ubi Socrates celebrem illam de cerebro doctrinam Alcmaeonis paucis verbis perstringit. Neque hic neque illic philosophus Crotoniates nomine appellatur; sed solet apertissima quaeque obscuritate obtegere Plato.

Scripti Monaci Bavarorum mense Octobri A. D. MCMLXXXII.

ANDREAS PATZER